1655 34 J.c.21. 65

DE CHRISTI DOMINI CRVCIATIBVS ORATIO

AD S. D. N.

INNOCENTIVM X.

PONT. OPT. MAX.

A CAROLO BOVIO SOC. IESV.

Ipſo Paraſceues die habita.

In Sacello Pontificum Vaticano.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,

Typis HH. Franciſci Corbelletti. MDCLIII

Superiorum Permiſſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sac. Pal. Apoſt.

A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Panus Mag. & Soc. Reuer. P. F. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI
IOANNI
S. R. E. CARD.
DE LVGO.

CAROLVS BOVIVS FELIC.

MENDACIVM huic paginæ vt auferrem, Tuum *Eminentiſſime Princeps*, illi nomẽ inſcripſi; præter quod nihil habet illuſtratum, & auctum, vt appellari poſsit Oratio, quæ de ampliſsimis Chriſti cruciatibus ieiunè ſic loquitur; vt nec dici poſsit Hiſtoria. Multò certè, hoc eſt ſupra dimidium plus Dei

Filius accepit olim à lictoribus verberum, quàm ego dederim verborũ lectoribus, auditoribus litterarum. Sed Verbum, quod diuinus Pater loquitur æternum, & infinitum ad intra, idemque in hominis anguſto corpore arctauit ad extra, ſua de cæde ad iuſtè commiſerandum pauca loquentium in ore foris, plurima dolentium poſtulat verba intus in corde. Hæc etiam cordis eloquentia, multò magis, quàm linguæ mihi cũ deſit, Tuam erga me beneuolentiam ſemper expertus, ad Te bonæ plenus fiduciæ cõſugio, vt pro me ſuppleas ipſe largè de tuo. Habes enim vnde aliorum ditare in hoc poſsis inopiã, qui pijſsimam in homines diuini Filij Sapientiam, pietate tua ſapientiſſima aliorum auribus exprimere ità ſcis aptè, loquendo, vt altiùs etiam omnium animis imprimere poſsis, agendo.

ORATIO.

CONSVMMATVM eſt, B. P. quicquid malorum & agere homo potuit, & Deus pati. Damnatus ab homine, & actus in Crucē Deus eſt. Horruit natura portentum, in quod poſtquam hominem Deus induerat, feram induere debuit homo. His verò in tàm contraria diſcedentibus, cœterarũ forma rerum, vel non potuit conſtare ſibi, vel noluit. Factis proinde ſciſſuris durities lapidum ſe ſe vltrò in ſenſum teneritatis emollijt: abnuit in æternum ſtare tellus, & tremuit; reſtitutis mortuis excuſſi ſunt vectes ineluctabiles inferorum; Sacrorum arcana ipſa ſe ſe ſciſſo Templi ſipario profanarunt: verſaque in noctem die Parens lucis atratus occidit ante occaſum: Dicam veriùs; Summus ille ſiderum Pontifex, extincta face, anathemate perculit, damnauitque tenebris orbem, qui tàm euidens, tetrumque facinus, cùm committeret, non videbat.

O Iuda, tantum in cœna nefas liuoris dente cum manderes, nullam ne duris conſcientiæ viſceribus metuebas helluo cruditatem? Infelix!

& tibi pondus, & arbori, facinus te, quod concoquere non potuiſti, diſrupit. At è cœna diſceſſiſti ad Pontifices, & Sacerdotes; quis non diceret expiandus? Et tamen impiatus in cumulum ibi es: vt ſacrilegiorum maximum cum ſacrorum Antiſtitibus patraretur. Prodi iam ex Vrbe in Suburbanum proditor: meridiare mera iſta nocte non tàm Cæli, quàm ſceleris, cruenta bellua, helluare: ad potum te ſudati ſanguinis tua compunctus proditione Ieſus expectat. Quid oſculo cælare conniteris, quod facibus publicas, & laternis? Tu verò Petre dormis adhuc? & te laternarius hic lucifer à ſomno nō excitat? Dormis certè, vigilet licet tua in vltionem manus, & gladius: quem ferias, tui caligo ſomni neſcit eligere. Conuerſo in Malchum ictu, Iudam flagrantem iam ſcelere præteris, quem ſi proditorem odoratus eſſes, diſcerpſiſſes in cœna? Sed oſculo Ieſu dato, fugæ ſe transfuga dedit: ſublatuſque vltori tàm nobili nebulo eſt, vt parem ſibi carnificem Iudas inueniret Iudam.

Atque hìc ſimul vinctus Præceptor eſt, ſimul ſoluta ſocietas diſcipulorum: Omnes relicto eo fugerunt. Quantâ ſtat rerum diſcordiâ Dei captiuitas tàm abſurda! ſuos hoſtes vnica poteſt Ieſus voce proſternere; ſuos amicos tanto miraculo confirmare non poteſt. Sed illi conſcientiâ ſceleris audaciâ iam perculsâ, armati, ſonteſq. coram Innocentia ſtare non potuerunt inermi; hi timoris gelu caritate iam frigida, inualidi, fracti.

68

ctique pericula, & mortem fortium iter ingredi non potuere cum Ieſu. Raptata interim in Aulam Patris Sapientia ante pecudem ſiſtitur infulatam: quæ vt ſcire ſe aliquid perſuadeat, de doctrina primò Ieſũ interrogat. Captiuis manibus libera interrogatus voce reſpondit; ſolitumque plus hominibus credere, quàm Deo, de doctrina, quæ ex Deo erat, quærentem, humani forma iudicij ad homines remiſit, & teſtes. Oris libertatem licentiâ manus Satelles adulator increpuit, Et (quandoquidem idem ſolet in Aula eſſe non blandè loqui, & malè) ferrea manu, ferâ magis vi dedit alapam Ieſu; qua ſic deformis, vt nec filius hominis videretur, interrogatur iterum, an ſit Filius Dei. Hoc adornatur apparatu calumnia, vt confeſſum ſe Dei Filium, filium mortis omnis cum ſacrilego Pontifice execranda turba conclamet.

Scinde iam tuas, Caypha, veſtes: neſcis quid ipſe nunc facias, qui & paulò ante quid diceres neſciebas. Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat: fuit illud vaticinium oris tui: Nunc veſtimenta cum ſcindis, vaticinaris & manu. Pontificatum à te vaticinans abijcis, iam nunc in Petrum dicerem transferendum, niſi afflatus mali propinquitate Principis, illum à ſe cognoſci nec hominem tuum frigidus peieraret ad ignem, quem ad maris aquas Tyberiadis caritate ardens confeſsus erat & Filium Dei.

Sed

Sed reſpexit Dominus Petrum, vt egreſſus foras fleret amarè, intelligeretq. à ſequentibus Ieſum ex iniquorum Aula Principum materiam ſemper lacrymarum efferri, in qua peccata committi quidem ſolent, ſed fleri non ſolent. Cayphas verò, ne reſpiceretur, & reſipiſceret, Ieſum à ſe dimiſit ad Præſidem: vt apud profanum Iudicem ſanctum eſſet, quod ipſe profanum fecerat vulgi clamore iudicium. Abortum hìc fecit improbitas: cum ficta in reum parturiret crimina, verum liuorem peperit accuſantium. Et Pilatus hominem vt vidit traditum propter inuidiam, eum ſuſpicatus eſt eſſe felicem. Accuſationis proinde capita, doctrina, popularis fauor, Regis nomen, & Dei, cum damnationem peterent, abſolutioni dedere ſuffragium. Verùm cum omni via ruatur ad ſcelera, à dicendo, agendoque iuſtè nulla non quæruntur effugia: Ergo cum obiectorum mendacia criminum perſtitiſſet diù Pilatus, vt audiret ex populo, abſceſſit protinus, vt ex Ieſu nomen veritatis audiuit: veritus credo, ne qui tota vita nihil aliud, quàm mentiri didicerat, ad prima reiectus veritatis elementa repueraſcere doceretur à reo.

Interim Galilæum ratus Ieſum reijcit ad Herodem. Dei filius in alterà nuper Aula percuſſus alapa, quia loquutus, in hac, veſte illuſus eſt alba, quia tacuit: damnatumq. fatuitatis ſilentium in illo eſt, ex quo facunda prodigia ſtolidi Regis inſana curioſitas expectabat: Ipſo iam habitus do-

cen-

cente candore, Apud malos Principes eiuſdem eſſe ſortis,& notæ,innocentiam,& fatuitatẽ.

Sed iam Pilate quid ages? remittitur ad te iterum innocens reus. Nullam,ais,in eo cauſam mortis inuenio. Scrutare: erit in te,quod in illo condemnes: audis? Cæſarem tibi furor populi minitatur. Satis hoc eſt, vt crimen fiat Innocentis,Iudicis metus. Damnare conſcientia non poteſt; abſoluere non vult timor: hoc in ancipiti cum in inuidiæ cuneos non audeas,Pilate, fortis irrumpere, effugia non profutura quæris ignauus. Optionem das populo,vtrum dimitti ſibi velit,Barabbam,an Ieſum. Miſerum me! non ſat erat Innocentiã ſolitariam iudicio quocumque damnari, niſi ad cædem præoptaretur cum ſcelere comparata? Quis te nunc peccata noſtra portaſſe neget, ò Ieſu,qui cum Barabba in altera lance compoſitus, latroni nequiſſimo ſeditionis,&homicidij reo,vt occiſor ille viueret, tu vita rerum occideres,Pontificum, Sacerdotũ, populi iudicio præponderaſti? Et tantum Crucis pondus inanis hieroglyphico arundinis ludionum inſania repræſentabas? patibuli clauis ſpinarum mucronibus proludebas? lacera purpura paludamentum ſanguinis adumbrabas? Et potuit ità conſpui decor, velari fulgor,lacerari flagris integritas,arundine omnipotentia contemni, conuicijs maieſtas illudi, colaphis ſanctitas profanari?

Ita ne contra Deum poteſt humano in foro de-

decerni? Egreſſus Pilatus foràs,ne Iuſtum damnet, Coniugis metu perculſus, & ſuo, tumultuantis tamen populi fieri petitionem adiudicat. Afferte huc, inquit, manibus aquam, vt lauem: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis: flagellate hunc tamen lictores, & crucifigite. O' Romanum Scytham! Vnico ſpiritu potuiſti,& Innocentem dicere,& addicere crucifigendum? Securus nimirum à Cæſare nunc es? Et te ipſum,Pilate,non times? Reſpira tamen, ſi potes,à ſcelere: Vt tua te aqua in ſpeciem videri poſſit abluere,Iuſti huius ſanguinem,quo delēdā nunquā ſe labe commaculet,ſupra ſe,filioſq.ſuos inquinatiſſimus populus iniquitatis expoſtulat.

Tradidit hìc Pilatus Ieſum voluntati eorum. Tàm citò mutata ſententia eſt? flagellis damnatus,& Cruce traditur voluntati eorum? Crudeliùs, quàm decreuiſti, Præſes, exequeris: flagellis, & Cruce immanior multò voluntas eorum eſt. Errαui tamen,ò Ieſu: immò illos Præſes tuæ tradidit voluntati. Oblatus enim es, quia voluiſti; taliſq. oblatus es Cruci,vt verè homo ſimul appareres,& Deus, quando iis ſupereſſe cruciatibus potuiſti, quibus ità deformis eras, vt nec Deus viderere, nec homo.

Vos verò ſapite, ſi poteſtis,aliquid in inſaniſſimo iſto furore carnifices: neq. maximum crudelitatis fructū ſæuiendo nimis amittite. Cuius patibulati ſanguine ſaturamini ſpectator populus ex aliqua relicti oris forma cognoſcat. Ita ne verò?

rò? hunc flagellis cæſum, hunc cruci ſuffixum, & hominem, & Ieſum Nazarenum eſſe, voci tantùm, chirographoque Pilati credendum eſt?

Egredere iam pacis vrb em, exercituum Deus poſtquam fulminibus p oſitis tuas beneficijs elaborandis manus aptaſti, his plagatus es in eorum, qui te diligebant, domo vulneribus: auſique ſunt beneficum ingrati contemnere, quem facta tenebris poteſtate ſua perduelles hora videbant inermem. At vos, timete mœnia, timete domus, penetralia Hieroſolymæ ſacroſancta timete, Ecce iam tantum ſcelus, quod vrbs vna non capit, cum exeunte Ieſu foras egreditur, viribus ſuis omnibus tranſiturum ad hoſtes: veſtrumq. in excidium hæc olim Romano militi arietem dabit Iudæorum barbaria.

O cuius è digitis totus pendet orbis, & regitur, ſub baiulati pondere probroſo patibuli defectis viribus incuruatum! Ne vim à militibus Cyrenæe, cogendus expecta; Ades felicior Hercules maiori multò, ſed labanti, labentique ſuppetiator Atlanti; cuius humeris, & ceruice non diſtinctum ſideribus Cælum, pulchrum onus innititur; ſed immani mole tota cum ſpinis, & Cruce incubuere Tartara tormentorum.

Filiæ Hieruſalem nolite flere: moriente Deo iniuſtæ ſunt lacrymæ; leue quippe malum eſt, fleri quod poteſt. Ad hoc Deicidium tàm immane, tàm impium iuſtè qui dolet, cum Virgine Matre ſpectet, & ſtupeat.

Pa-

Patibulato denique inter facinoroſos Deo; cum dehiſcere tellus ad deuorandos impios debuiſſet, nouiſſimo morientis furto latronis Cælum patuit in rapinam. Quanquam ipſa etiam tellus, ſed pectoris Chriſti virgo tellus hiauit; & militis patefacta lanceâ ad ipſum vſque patuit cordis centrum, in quod cum caritatis pondere ſola, & ſolida deferuntur gaudia beatorum.

Reuertentes, & percutientes pectora ſua factæ ſuper vniuerſam terram tenebræ illuminarunt, vt dicerent, Verè filius Dei erat iſte: credituſq. tūc immortalis eſt, cum viſus eſt mortuus; potuiſſe, vt viueret, de Cruce deſcendere, qui deſcendere noluit, vt moreretur in Cruce; eiuſq. poteſtatis eſſe ad beatè viuēdum Cælum aperire, qui crudeli extinctus morte claudi potuit in ſepulcro. Et nos, quibus occidens è Cruce, tanquam ex ortu Sol fidei diuinus illuxit, damnatum hunc, & actum in Crucem ab homine, & hominem eſſe confiteamur, & Deum.

Tu verò, B. P. eius exemplo æternùm in Cœlo regnantis, cuius Vicarius diù regnas, & regnes in terris, quando moriēs Deus veniam pro hoſtibus, omnibuſq. rogauit, Tu, inquam, cuius in manus omnia hìc in terris dedit, & Pater, & Filius, ex patefacto illo Chriſti cordis ærario, in nos noſtra ſcelera, & propter ſcelera noſtra extinctum Dei filium confitentes, larga manu cæleſtium theſauros indulgentiarum effunde. Hoc enim eſt eſſe Chriſti Vicarium, veniam, & Cælū dare.

LAVS DEO